

Beiheft

2

S 103

1260 (1259) März 8 Münster.

[30]

Wilhelm von Holte, Bischof von Münster, betr. den Zehnten in Ruthewick,
Köpl. Osterwick.

Wilhelmus de Holte, Dei gratia ecclesiae Monasteriensis episcopus, omnibus in perpetuum. Notum facimus et tenore praesentium protestamur, quod nos Bernardo de Mersge cum consensu suorum haeredum vendente pro certa pecuniae quantitate religiosis viris praeposito et conventui monasterii in Varlare decimam domus in Ruthewick, sitae in parochia Osterwieck, tredecim mensuras siliginis per mensuram Cosveldensem et totidem denarios pariter in minuta decima annuatim solventem, quam idem Bernardus a Rodolpho de Meinhuvele milite, qui ipsam decimam a nobis immediate jure feodali tenuerat, deinceps jure tenebat eodem, dictam decimam libera ipsius resignatione a praefato milite facta nobis supradictis praeposito et conventui contulimus proprietario iure perpetuo possidendum. In eius rei notitiam praesens scriptum hincinde conscriptum nostro sigillo fecimus communiri. Acta sunt haec Monasterii his praesentibus venerabilibus viris dominis Gerardo praeposito, Hermanno decano et Wilhelmo canonico Monasterensi; item Macario praeposito, Richardo cellarario, Wilhelmo camerario et Arnaldo plebano in Cosveldt, praedicti monasterii fratribus; item laicis: nobili viro Hermanno de Harstorppe, Frederico de Meinhuvele, Thiderico de Schonebecke, et Siberto Norendin militibus et aliis quam pluribus. Anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo nono, feria secunda post dominicam Oculi mei, pontificatus nostri anno primo.

Kopie im Barlarer Kopiar S. 42/43.

108